[Prince] of Oranges
July: 1572

~~102~~ 110

Cum de statu Flusshingi inter nos ~~[illegible]~~ ageremus ego & D. Admiralius (princeps illustrissime) (utpote qui optimae causae quam vos agitis, summopere studemus;) rebus ~~[illegible]~~ ibi male admodum constitutis remedium primo quoque tempore apponendum censuimus. Illi autem negotio, subductis rationibus, neminem indicavimus magis aptum qui praeficeretur quam D. Junium, tum pro singulari eius sapientia & in rebus agendis prudentia tum pro summo amore & studio quo erga causam ipsam afficitur tum etiam (quod maximi momenti instar haberi debet) quod illius reipublicae civis, illorumque hominum popularis sit, ~~ac proinde~~ ad quos ~~illos~~ authoritate sua flectendos & in ordinem redigendos ~~multo~~ plus ~~possit~~ [illegible] quam peregrinus aliquis, poterit. Eum igitur illuc tamen (rebus ita exigentibus) & quidem cum diligentia misimus: mandantes ne inde discedat, quousque Excellentia vestra aliquem à fratribus vestris cum authoritate ~~[illegible]~~ in eas regiones mittendum curaverit: quae res ita facta est necessaria ad causam promovendam, ut nihil supra. Quod rebus Zelandicis hactenus ita male prosperatum sit; in causa fuit mihi credite (princeps illustrissime) quod Nobilitas Britannica quae magna ex parte ad causam ipsam primus exarserat studio ~~hanc summopere favebat~~, iamdudum ~~magnopere~~ aliquantulum refrigerescere coeperit. Quod ad me attinet, quo promptius nostrates denuo ad causam movere possem; non dubitavi dicere, fratrem quendam vestrum iam nunc in via esse, nec longe abesse à Zelandia. Peto igitur ab Excellentia vestra maiorem in modum, ut illum omni exempta mora (quoad eius fieri poterit) cures: non solum quod causae necessitas ita postulet, verum etiam quo fidem meam apud nostros liberare possim & possim melius toto tempore consequenti causae inservire. Non fugit prudentiam vestram, quanti intersit locum illum quam optime conservari; & quam necessarium sit, ut aliquis magni nominis summaque authoritate ei praesit. Huius etiam rei Excellentiam vestram admonendam censui; huic toti negotio melius consultum iri, si literas D. Junio ad serenissimam Reginam nostram dederis, dederis etiam illi in mandatis ut agat cum Maiestate sua de suppetiis ferendis. Quod negotium ille ~~primus~~ ante adventum fratris vestri in eas partes suscipere non poterat, nec abesset longius. De statu rerum Gallicarum optime ex literis D. Junii cognosces; ~~princeps illustrissime~~ princeps illustriss. Quod reliquum est, precor Deum Opt. Max. ut coepta vestra secundet ad honorem et gloriam nominis sui. Parisiis vi° Non. Quintil. 1572.

British Library
Cotton, Vespasianus F VI, f. 110 r (oud 102)
http://www.inghist.nl/Onderzoek/Projecten/WVO/brief/10945